









1792, 12  
~~2090~~  
N2

COMMENTATIO JURIDICA  
DE  
JURE CREDITORIS  
HYPOTHECARI  
CIRCA FRUCTUS,

TERTIO CUIDAM SOLUTIONIS GRATIA A DEBITORE  
UTRIUSQUE COMMUNI ASSIGNATOS

QUAM  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS  
RITE CONSEQUENDIS

V I R O R U M


AMPLISSIMORUM, CONSULTISSIMORUM ET DOCTISSIMORUM  
EX ILLUSTRIS JURECONSULTORUM ORDINE

IN  
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRUTINIO DEVOTE SUBMITTIT

AUCTOR  
CHRISTIANUS EBERHARDUS WEDEKIND,  
IN CONSILIO INTIMO AC CAMERA OSNABRUGENSI REGISTRATOR.

OSNABRUGI DIE 1<sup>ma</sup> SEPT. 1792.



OSNABRUGI,  
EX OFFICINA J. W. KISLINGII ET FIL.





COMMENTARIUS IURIDICUS

DE

IURE CREDITICII

HYPOTHECARI

IN REBUS

ET ALIIS REBUS CREDITICII

ET

ALII REBUS CREDITICII

ET ALIIS REBUS

VIRORUM

ET ALIIS REBUS CREDITICII

ACADEMIA SCIENTIARUM

ET ALIIS REBUS

CHRISTIANAE UNIVERSITATIS

ET ALIIS REBUS CREDITICII

ET ALIIS REBUS

ET ALIIS REBUS





# VIRI

ILLUSTRES, AMPLISSIMI, DOCTISSIMI

SUMMA QUA PAR EST REVERENTIA MAXIME COLENDI!

**A**mplissimam sedem vestram, agressuro mihi, jure meritoque in mentem venit tum doctrinae splendor cum judicii gravitas, qua exiguum hocce studiorum meorum specimen prorsus indignum reputari fas est.

Quare ne nimia propositi videar induci audacia, velitis quaeso Viri amplissimi indulgere gratae memoriae, quam benevolentiae generosae, qua pro ea qua gaudetis insigni humanitate ac lenitate eo tempore amplecti me dignati estis, cum faustis vestris Auspiciis studiis incumbens praesens vobis adessem, redditam mihi debita gratitudine suscipio, et ignoscendum credatis ei, quem delapsis licet septem annis numerum civium academicorum egressum, ut sese vobis ea qua par est reverentia adhucdum commendatum habeat pia recordatio ducit.



(~~Handwritten text~~)

Hanc igitur benevolentiam mihi absenti non defuturam dum sperare audeo, gratissimae omnino felicitati mihi reputarem, si devotionis meae momenta sincera praesentibus vobis offerre atque testem splendoris denuo me reddere mihi facultas esset; atqui cum officii in quo constitutus sum ratio, rerumque inde quotidie gerendarum necessitas voti hujusmodi compotem me reddi non sinat, nil restat, nisi ut pro vestra sempiterna incolumitate vota sincerrima suscipere possim, et ut Viri illustres, amplissimi, doctissimi, studiorum meorum hocce specimen, quamvis exiguum et pro gravitate vestra plane indignum leni tamen iudicio et humanitate generose accipere dignemini pia hacce devotione instanter rogem, qua me nunquam non futurum profiteor

Viri illustres, amplissimi, doctissimi

Cultor vester observantissimus

*C. E. Wedekind.*



*Delineatio hujus Commentationis  
summaria.*

- I. *Ratio instituti.* - - - - §. 1.
- II. *Prolegomena ad definiendam materiam propositam praemittenda.*
- A) *Generalia, quae ad filum tractationis spectant*
- 1) *Assignmentis Definitio et Natura* - - §. 2.
- 2) *De variis assignationum speciebus* - - §. 3.
- 3) *De effectu assignationis diverso* - - §. 4.
- 4) *Explicatio summaria L. 3 Cod. de novat.* - §. 5.
- B) *Specialia scopum nostrum imprimis concernentia*
- 1) *De assignatione fructuum* - - §. 6.
- 2) *De oppignoratione fructuum* - - §. 7.
- III. *Ipsa Tractatio*
- A) *Transitus* - - - - §. 8.
- B) *Quem subsequitur doctrinae substratae delineatio*
- 1) *De assignatione fructuum, oppignorationem eorundem  
ratione temporis subsequente*
- a) *De fructibus ab assignatario nondum perceptis* §. 9.
- b) *Digressio ad quaestionem ratione beneficii excussionis* §. 10.
- c) *De*
- A 3



c) <i>De fructibus jam perceptis</i>	-	-	§. 11.
I) <i>exstantibus</i>	-	-	§. 12.
II) <i>usucaptis</i>	-	-	§. 13.
III) <i>consumtis</i>	-	-	§. 14.
2) <i>De assignatione fructuum oppignoracionem eorundem     ratione temporis praecedente</i>	-	-	§. 15.
a) <i>Quid juris circa nudam vel simplicem assignacionem</i>	-	-	§. 16.
b) <i>Quid in qualificata vim cessionis vel delegacionis         habente</i>	-	-	§. 17.





§. I. RATIO INSTITUTI.

**D**octrinam assignationis per se spectatam sicuti multis variisque in praxi subjacere erroribus (a) satis notum est, ita praesertim a rectis decidendi rationibus aberrare saepius observavi, ubi jura Creditoris circa rem in assignationem deductam, cum jure hypothecae tertii cujusdam concurrunt, quod eo facilius accidit in fructibus, cum re principali licet obligata, jus tamen de hisce disponendi non iisdem limitationibus subjaceat, quae in alienatione rei principalis occurrunt. Quare in disquirendis Principiis huius materiae definiendae genuinis versaturus, sic procedendum statui, ut quae de Assignatione et oppignoratione ad flum hujus Tractationis spectant priori loco generatim tradantur et deinde ad materiam substratam discutiendam pro variis momentis a se invicem probe distinguendis progrediar.

§. 2.

(a) Quos inter alios optime recenset, Stryck in U. m. L. 18. T. 4. §. 14. seqq.





## §. 2. DEFINITIO ASSIGNATIONIS.

Vocabulum *Assignmentis* jure romano non quidem incognitum esse, longe tamen alio eoque vario sensu obvenire quam hodie in materia mandati circa solutionem versantis receptum invenimus, vir doctissimus *Stryck* in Tractatu egregio de *Jure Assignmentis inter mercatores* docuit (a). Pro ea etenim quam denotat fori ac Praxeos hodiernae frequentia significatione, generatim sic definiri poterit, quod sit *mandatum de solutione vel exigenda vel praestanda*.

Quando autem secundum generalem hancee notionem quilibet assignare dicitur, qui solutionem vel exigendam vel praestandam alicui mandat, licet inter mandantem et mandatarium nexus alicujus obligationis haud subsistat, ita vocabulum *Assignmentis* praesertim tunc receptum esse constat, ubi mandatum de solutione exigenda ei fit, cui aliquid a mandante debetur et simul de solutione praestanda in eum dirigitur qui mandanti debet, quare in sensu strictiori sic definitionem formandam esse puto, quod sit *Mandatum debitoris in suum Creditorem directum de solutione a tertio mandantis debitore exigenda* (b).


## §. 3. DE VARIIS ASSIGNATIONIS SPECIEBUS.

Cum igitur in hoc negotio tres occurrant personae, videlicet debitor mandans sive *assignans*, deinde Creditor mandatarius sive *assignatarius* et

(a) vid. usum ejus mod. L. 18. T. 4. §. 14. seqq.

(b) Quoad notionem assignmentis formandam praeter *Stryckium* l. c. legi merentur.  
*Leyser* in Spec. ad Pand. Sp. 199. med. r. 2. Sp. 527. med. l.  
*Mevius* in Decif. P. 7. D. 46.  
*Cocceji* in dissert. de assignat.  
*Johann Henr. Stenger* de assignat. mercatorum.  
*C. A. Ritter* de idea prima et genuina assignat. et camb. transacti.






et tertio loco debitor solvens seu *assignatus* a quo mandanti aliquid debetur, facile exinde apparet, in qualibet Assignatione de duplici obligatione tollenda agi; dum scilicet ex parte *Assignantis* intenditur, ut ejus creditor debitum *Assignati* solutionis ab ipso alias faciendae loco recipiat et hoc facto debitor *assignatus* respectu *assignantis* itidem ab obligatione liberetur. Subest tamen haec differentia, in omni assignatione obligationem tertii debitoris *assignati* per ipsam solutionem demum penitus (a) tolli, debitorem *assignantem* vero erga *Assignatarium* interdum statim contracto negotio ut plurimum autem post praestitam a Tertio solutionem demum liberari; quare pro hac effectus diversitate duo assignationis genera deprehenduntur, videlicet *qualificata*, quae ita contrahitur, ut obligatio assignantis erga assignatarium ipso facto expiret et *simplex* five *nuda*, quae effectum liberationis ex parte assignantis statim non parit, sed tunc demum producit, cum assignatarius solutionem a Tertio reapse acceperit, quae cum ut plurimum fiat in specie assignationis nomine venit (b). Assignationem *qualificatam* autem duobus modis fieri palam est. Vel enim id agitur, ut obligatio tertii debitoris eo volente et consentiente in locum obligationis Assignantis surrogetur et assignatario in solutum imputetur, vel simpliciter creditum assignantis transfertur. Priori Casu habes *delegationem*, posteriori vero assignationem cum *cessione* conjunctam five dationem in solutum

(a) Facta enim per delegationem assignatione obligatio prior ipso facto quidem inter veniente novatione expirat, sed nova substituitur.

(b) Hanc notam caracteristicam discriminis cum ab effectu desumpta sit tutissimam credo. Confr. Hert. de parocm. Jur. par. 96. in ejus opusc. Vol. 1. T. 3. Pistori Thef. parocm. gerin. jurid. Cent. II. par. 31. Stryck l. c. §. 22.





solutum per cessionem nominis (c), quae quidem licet a sese invicem parum differre videantur, maximi tamen momenti discrimina pariunt, quorum imprimis notanda veniunt, quod 1) in delegatione interveniat species novationis non vero in assignatione per cessionem (d) 2) in illa requiratur consensus tertii debitoris, secus in hac (e) 3) in delegatione quaestio de veritate debiti regulariter suboriri non possit, bene tamen in assignatione per cessionem facta (f), denique 4) in illa exceptiones quae deleganti opponi potuissent sublatae sint, haud vero in cessione (g).

§. 4. DE EFFECTU ASSIGNATIONIS DIVERSO.

Praemissa itaque assignationis notione facile exinde apparet, in assignatione *qualificata* veram semper inter Assignantem et assignatarium intervenire solutionem (a), non vero in *nuda vel simplici* assignatione, ubi solutio adeoque sublatio obligationis demum post

(c) Quamvis maxime diversa sint assignare, delegare et cedere, sub uno tamen genere scilicet mandati comprehenduntur, quare assignationem in sensu lato ad genus et singula negotia cessionis, delegationis et assignationis in sensu stricto ad species referendo errare non credo. Non obstante quod ad formam delegationis verborum obligatio requiratur jure romano. Ceterum de discrimine horum negotiorum optime egerunt. Stryck et Leyser loc. cit.

(d) L. 2 et 3. C. de novat.


(e) L. 1. C. de novat.

(f) Quia scilicet delegatio absque Consensu tertii debitoris fieri nequit et hinc propria ejus confessio de veritate debiti in medium venit.

(g) L. 12 & 19. D. de novat.

(a) L. 18. D. de fidejussor.





post actualem praestationem debiti ab assignato factam procedit (b); hinc in illa Assignatario tanquam procuratori in rem propriam utilem ex jure Assignantis cesso vel in casu intervenientis delegationis ex stipulatu contra tertium debitorem adquiri actionem, in hac vero si assignatarius agendo experiri velit, procuratorem in rem alienam fieri (c). Fluit exinde porro, post contractam assignationem *qualificatam* jus de re vi assignationis a tertio praestanda ulterius disponendi, non remanere in bonis assignantis (d), sed in assignatarium ex praecedente titulo pro soluto transferri, quamquam nec possessio ejus nec dominium (e) sed tantum actio ad illud persequendum comparata transferatur; in *nuda* assignatione vero penes assignantem donec praestatio a Tertio facta fuerit jus circa rem in assignationem de ductam disponendi remanere, *assignatarium*


(b) L. 64. D. de solut quare et periculum nominis donec solutio ex parte Assignati facta fuerit penes assignantem remanet, prouti praecunte jure communi diferte in plerisque ordinationibus statutariis exprimitur. Vid ordinat. cambial. Bremens. art. 14, Francofurt. §. 41, viennensem art. 42, quae quoad claus. concernentem videri possunt in Hellefeld Repert. jur. germ. voce Anweisung, unde vulgatum illud. Anweisung ist keine Zahlung. Ströck l. c. §. 22. Videantur de cetero quae notavi ad §. seq. L. 4. C. de novat.

(c) L. 3. C. de novat. confer. §. seq. ibique not. litt. g.

(d) Vid. quoad delegationem L. 18. de fidejuss. L. 3. C. de novat. L. 106. D. de solut. quoad cessionem vero notata ad §. seq. Nec obsare puto, quod juxta L. 4. C. Quae res pign. obligari, debitor ante denunciationem a cessionario factam vel litem cum eo contestatam valide cedenti solvere possit, ex qua ratione in contrariam sententiam abijt Petrus Manécke in Diss. de success. cred. in alt. et suum ipsi, locum §. 6., quia Ratio hujus dispositionis in bona fide debitoris cessi et factae cessionis ignari sita est, prouti observat. Leyser in sp. 199. med. 6 et 7. L. ult. D. de Transact. conf. §. seq.

(e) L. 20. C. de pactis. Mev. P. 7. D. 153. N. 12. P. 8. D. 451. alia quoque est ratio dominii, alia existentiae in bonis. L. 49. de V. S.





natarium vero si solutio praestita fuerit rem acceptam ex eodem titulo pro soluto per Traditionem veram ratione Assignati & fictam (f) ratione assignantis adquirere.

§. 5. EXPLICATIO SUMMARIA LEGIS 3 C.  
DE NOVATIONIBUS.


Hisce autem quos definitivi assignationum effectibus obflare equidem videtur Lex 3 C. de novat., in qua post absolutam licet omnem explicationem semper tamen nodum aliquem remanere existimavit *Brunnemannus*; (a) at re penitus inspecta non solum omnem obscuritatem alienam esse, sed ipsam legem memoratam Principiis in §. anteced. stabilitis quam maxime inservire palam erit, nedum scilicet ista assignationis species, quam *simplicem* five *nudam* vocavi cum ea confundatur, quae solutionis loco per cessionem fit, et cujus in priori legis capite sermonem fieri erronee *Brunnemannus* putat, hinc quod in lege de actionibus penes cedentem remanentibus asseritur obscuritati submittit, quae autem penitus effugit, simulac praeunte viro praeclaro *Leysero* (b) primum legis memoratae caput de *nuda* assignatione, quae effectum solutionis vel liberationis inter Assignantem et Assignatarium ex voluntate Contrahentium non parit intelligitur. Hac enim contracta, actionem in bonis assignantis remanere nemo dubitare poterit,

(f) Continet enim assignatio mandatum de solutione praestanda in Debitorem directum. Qui autem mandat solvere ipse solvisse videtur. L. II. §. 5. de pign. actione, L. 56. de solut.

(a) In Comment. ad Cod. in dicta lege N. 6 et 7.

(b) In meditat. ad Pand. Sp. 199. med. 1 et 2. Sp. 527. med. 1.





poterit, (a) sicuti econtrario ex secundi capitis legis asserto, per *delegationem* jure novationis actualis solutio procedit, (d) et hinc actio ex priori obligatione descendens, ea extincta, per rerum naturam in bonis delegantis esse definit. Eundem autem hunc solutionis effectum quoad alienationem actionis, quanquam citra novationem in ea assignationis specie produci, cum solutionis loco per cessionem jus aliquod in alterum transfertur, non quidem ex memorata lege discrete capiendum est, attamen alia juris ratione satis clarum est, tum quia in incorporalibus cessio quippe translatio juris in alterum semper vim traditionis sustinet, (e) tum quia titulus pro soluto tanquam ad transferendum dominium habilis praecedit (f) et hac ratione utiles ex jure cedentis actiones statim in Assignatarium transeunt, (g) hinc in bonis Assignantis vel Cedentis non remanent, (h) quamvis nec ipsum dominium nec possessio sola cessione transferantur. (i)

## B 3

## §. 6.

(c) Leyser loco cit. Stryck de jure assign. §. 22. Mev. P. 7. D. 46. vid. que notavi ad §. ant. litt. b. L. 12. §. 2. L. 38. §. 1. L. 106. de solut. L. 49. de V. S.

(d) Prouti discrete exprimitur in legib. cit. 18 D. de fidejuss. et 2 C. de novat.

(e) L. 4. C. de hered. vel act. vend. Leyser l. c. Mev. in Part. 8. D. 440. Brunnem. ad L. 8. C. de hered. vel. act. vend.


(f) Stryck l. c. §. 26.

(g) L. 25 et 55. de procur. L. 4. pr. de re jud. L. 16. de pactis. L. 19. in f. de reb. cred. L. 156. §. 3. de R. J. L. 5 et 9. C. de hered. vel act. vend. L. 1. 2. C. de obl. et act. L. 5. C. Quando fiscus.

(h) Lauterb. in Coll. theor. pract. T. de hered. vel act. vend. §. 83. Leyser Sp. 199. med. 7. Lenz de nomin. et act. cessis. C. 4. membr. 7. N. 2.

(i) vid. not. ad §. ant. litt. e. L. 3. §. 1. L. 8. D. de adq. vel amitt. Pass.






§. 6. DE OBJECTO ASSIGNATIONIS, IN SPECIE  
DE ASSIGNATIONE FRUCTUUM.

Cum assignationem mandatum de solutione exigenda vel praestanda constituere supra tradiderim, absque difficultate patet, quamlibet rem eidem subjici posse, quae alienationem adeoque solutionem recipit et a Tertio praestanda est, sive *corporalis* sit, sive *incorporalis*, sive *praesens* sive *futura*, hinc igitur etiam fructus, quorum exigendorum jus penes assignantem est absque dubio in assignationem venire posse, sine ullo pro variis eorundem speciebus discrimine, praesertim nullo habito respectu utrum *pendentes* vel *futuri*, *naturales* vel *civiles* sint, quare in assignationem deduci possunt usurae, pensiones, locaria, mercedes, census, canona, annui reditus et quaelibet praestationes, quae intuitu rei alicujus principalis sunt adeoque instar fructuum sunt. (a) Illud tamen notandum videtur, fructus naturales in assignationem aliter venire non posse quam si eorum perceptio vel Tertio cuidam ad praestationem obligato incumbat, (b) vel mandatario seu administratori prius ab assignante sub lege reddendarum rationum commissa fuerit, quia praeterquam tertius debitor non adest, adeoque si quis ex fructibus ab ipso *naturaliter* percipiendis solutionem praestaturum sese promittit, non assignatio sed promissio solutionis ex fructibus faciendae seu constitutum debiti proprii in medium venit. Facta autem assignatione, idem jus quo Fructus antea assignanti cedebant in assignatarium translatum esse (c) et hinc ab ipso eodem jure acquiri fructus, quo assignans alias adquisivisset, ex iis quae in §. §. anteced. tradidi satis apparet, quare

- ne
- (a) L. 34 et 36. de usuris L. 83. pr. de legat 3. L. 29. de hered. petit. L. 7. §. 1. de usufir.
  - (b) Veluti in Colonis ad certam fructuum quantitatem praestandam obligatis aliisque quibus fructuum praestatio intuitu rei alicujus incumbit.
  - (c) Irrevocabiliter scilicet in assignatione qualificata, revocabiliter vero in simplici. vid. §. 9. litt. d.





ne in recensendis multifariis fructuum acquirendorum modis a scopo meo nimis aberrare videar, egregiam *Gustavi Antonii de Wolfrath* dissertationem de acquisitione Fructuum hoc loco recitare fatiserit (d).

§. 7. DE OPPIGNORATIONE FRUCTUUM GENERALIA  
QUÆDAM PRÆMITTENDA.

Sicuti quaelibet res in Commercio existens eaque alienationi obnoxia oppignorari potest (a), ita quoque Fructus cujuscunque generis. quos in Assignmentem venire posse tradidi, vel expresse vel tacite oppignorationem pati per se constat (b), quae in illis vel principaliter, vel tanquam in accessoriò per consequentiam procedit, quanquam in oppignoratione rei principalis de iis expresse actum non sit (c). Quin immo cum in rebus alienari prohibitis Jus oppignorandi Possessoris non ultra fructus sese extendat, prouti evenit in rebus dotalibus immobilibus, feudalis, fideicommissis oneratis, ecclesiasticis, usufructuariis, aliisque ejusdem generis, facta harum in quolibet casu oppignoratio, tam generalis quam specialis, sive voluntaria, sive necessaria, ipsò jure non nisi ad fructus pertinere potest, quorum etiam expressa ex lege oppignoratio in Conductore praedii rustici pro securitate locarii contingit (d):

§. 8. TRANSITUS AD MATERIAM SUBSTRATAM.

Jam igitur his praemisissis si de jure creditoris hypothecarii circa fructus tertio cuidam solutionis gratia assignatos Quaestio movetur, in genere

(d) Prodiit Göttingae anno 1783.


(a) L. 9. §. 1. de pign. L. 9. pr. L. 15. §. 1. eod. L. 4. C. Quae res pign. L. 15. D. de pign.

(b) L. cit. 15. de pign. L. 20. eod. et text. sub lit. seq. cit.

(c) L. 15. de pign. L. 16. §. 2. eod. L. 29. §. 1. eod. L. 3. C. in quibus caus. pign. tac. cont. L. 1. C. de partu pign. L. 9. C. Quae res pign.

(d) L. 7. pr. in quib. Caus. pign. tacite contr.





genere quidem rem sic esse definiendam, ut ad momentum temporis quo fructus a tertio possessore *irrevocabiliter* adquiruntur respiciendum sit, ex natura juris pignoris tanquam *realis* et rem ubivis efficientis patet; pro vario tamen ex assignationis diversitate emergente effectu probe distinguendum erit, utrum Assignatio oppignorationem tempore praecesserit vel subsequuta fuerit; et sicuti quidem utrobique ad perceptionem et deinde consumtionem fructuum, prout ante actionem a Creditore Hypothecario motam forte contigerit vel non respiciendum erit, ita quoque in Casu assignationis oppignorationem praecedentis praesertim diversae ejusdem indolis ratio habenda est, quare de assignatione oppignorationem ratione temporis subsequente cum ut plurimum contingat primo loco acturus, illud saltem praemonendum duco, ad discrimen inter assignationem nudam et qualificatam quoties oppignorationem subsequuta fuerit plane non respiciendum esse, cum ratione creditoris hypothecarii contra quemlibet Tertium jure gaudentis hujus differentiae nullo respectu interfit.

§. 9. DE FRUCTIBUS IN CASU ASSIGNATIONIS OPPIGNORATIONEM SUBSECUTÆ AB ASSIGNATARIO NONDUM PERCEPTIS.

Perceptionem fructuum si *naturales* sint per separationem eorundem a re principali cui cohaerent (a), sin vero *civiles*, per solutionem vel praestationem (b) contingere satis notum est; quamvis autem actus perceptionis in fructibus naturalibus per separationem *corporaliter* absolvatur, tamen ex iis quae supra in §. 6. tradidi satis apparet, fructus *ratione assignatarii* non nisi post factam actualem a debitore assignato praestationem pro perceptis reputari posse (c). Quod si igitur in utroque fructuum genere,

(a) L. 78. de R. V. L. 48. pr. D. de adq. rei dom.

(b) L. 55. de Cond. indeb. l. 62. de R. V.

(c) Quamvis enim aucte praestationem assignatario factam ei cedant adquisitio tamen non nisi interveniente Traditione evenire potest. L. 20. C. de pactis. Mev. P. 7. D. 153. N. 12. P. 8. D. 451.



genere, perceptio assignatarii nondum contigerit; hinc igitur fundamentum aliquid acquisitionis irrevocabilis (d) nullo modo existens fieri poterit, Creditorem Hypothecarium actione congrua debitorem assignatum pro adipiscenda fructuum possessione convenire posse nec assignatario pro suo Jure ad effectum excludendi Creditorem hypothecarium interventione experiri jus esse, ex natura juris pignoris ita luculenter patet (e) ut ulteriori desuper disceptatione non indigeat.


### §. IO. QUID DE BENEFICIO EXCUSIONIS STATUENDUM?

Ambigua tamen aliquatenus quaestio esse videtur, ane post motam a Creditore hypothecario contra debitorem assignatum actionem, exceptio excusionis ab assignatario per modum interventionis cum in finem opponi possit agenti ut assignans tanquam debitor principalis primo loco conveniatur; quae cum omnibus rerum oppignoratarum possessoribus legis beneficio concessa sit (a), etiam Assignatario, penes quem fructuum percipiendorum jus est tribuenda esse videri potest. Cum vero ad effectum hujus exceptionis proponendae actualis possessio requiratur (b), quae per solam Assignationem non transfertur (c), hinc igitur jus acquirendi fructus quod penes assignatarium est haud sufficiens reputari possit, locum huic exceptioni non esse reputandum duco (d).

### §. II.

- (d) Sicuti enim ex praecedenti titulo bona fide percipiens fructus revocabiliter semper eosdem acquirit §. 35. J. de R. D. L. 48. pr. de adq. rer. dom. L. 78. de R. V. L. 45. de usur. L. 25. §. 1. et ult. Fin. regund. L. 4. §. 2. cod. ita quoque ex perceptione demum conditionem acquisitionis irrevocabilis per consumptionem vel ulucapionem nascitur §. 13. 14.
- (e) Quia rem ubivis afficit. L. 17. de pign. hinc quoque ad accessorium sese extendit. vid. not. ad §. 7. lit. C. quia immo fructus pendentes pars fundi esse videntur L. 44. de R. V.
- (a) Anst. sed hodie C. de obl. et act. Nov. 4. C. 2. conf. not. ad §. seq. lit. C.
- (b) Prouti declaratur in nov. mod. cit. verbis (quae ab aliis *derimentur*.)
- (c) L. 20. C. de Pactis Mev. l. c.
- (d) Aliud enim est jus acquirendi aliud Possessio, quippe quae actum acquisitionis requirit L. 3. §. 1. L. 8. D. de adq. vel amit. poss.





§. II. DE FRUCTIBVS ANTE MOTAM ACTIONEM HYPOTHECARIAM  
AB ASSIGNATARIO JAM PERCEPTIS.

Quod si Fructus vi praecedentis assignationis ab assignatario *percepti* fuerint, locum tertii rei obligatae possessoris ratione Creditoris hypothecarii illum sustinere certum est (a); hinc igitur quod de actione hypothecaria tanquam *reali* et contra quemlibet tertium possessorem comparata notissimi juris est (b) etiam in Casu proposito eo procedit, ut assignatarius ratione fructuum perceptorum illa conveniri possit. Maximopere tamen ad effectum ejus elidendae vel secus interest, utrum fructus adhucdum *extantes* vel jam *consumti* fuerint, quare de utroque Casu separatim agendum erit.

§. 12. QUID JURIS IN FRUCTIBVS EXTANTIBVS.

*Extare* fructus dicuntur, quatenus nondum *consumti* fuerint, quibus modis autem consumtio fiat in §. sequenti 14. tradendum erit. Cum itaque per solam perceptionem fructus *irrevocabiliter* non adquirantur, (a) hinc ratione eorum qui adhucdum extant donec fundamentum speciale acquisitionis irrevocabilis accedat nulla ratio prodi possit, ex qua possessori ab onere hypothecae cui obligati sunt liberatio tribuenda foret, tertio Creditori actionem realem salvam manere certum est. Cessante tamen quam in §. ant. respectu fructuum nondum perceptorum tradidi ratione, cum vi perceptionis Assignatarius possessionem nactus sit, de beneficio excussionis hoc casu dubitatio moveri nequit, sed sive fructus generaliter sive specialiter (b) Creditori hypothecario

(a) perceptio enim in fructibus modum acquirendi constituit et hinc percipientem possessorem civilem facit vid. not. ad §. 9. lit. d.

(b) vid. not. ad §. ant. lit. e.

(a) vid. not. ad §. 9. lit. d. de Wolfstath in diss. cit. §. 48. L. 22. C. de Rei vind. verba legis 48 D. de adq. rer. dom. (*interim* suos facer.)

(b) Notissima quidem est multorum sententia qua beneficium excussionis ad hypothecam generalem restringitur et in hypotheca speciali negatur ob nov. 112. Cap. 1. quam cum Hahnio, Bergero aliisque secutus est Leyser in Sp. 226. Med. 7. Coroll. 2. Rationes tamen contrarias ob dispositionem generalem in Nov. 4. c. 2. praevalere puto, quas optime examinavit de Cocceji in iur. civ. contr. Lib. 20. Tit. 1. Q. 14. quibus accedit consuetudo Justiniani in lege aliqua derogante ubique conformis, quod scilicet facta legis mentione adductis rationibus demum ad novam constitutionem progrediatur, cujus nullum in mem. nov. vestigium est.





eario obligati fuerint, post perceptionem tamen ejus exceptio congrua ex parte assignatarii opponi poterit. (c)

### §. 13. LIMITATIO IN CASU USUCAPIONIS COMPLETAE.

Prouti vero interveniente bonae fidei possessione per praescriptionem *acquisitivam* quaelibet res non vitiosa alteri cuidam pignori obligata ordinario tempore dominiotenus adquiri, (a) et sic quoque jus creditoris quanquam nondum elapso tempore in praescriptione actionis *extinctiva* praefinito a Tertio B. f. possessore excludi potest, (b) ita etiam fructus quippe res mobiles si per *Triennium* bona fide continuatum apud assignatarium tanquam justo titulo praeditum extiterint, per usucapionem ejus irrevocabiliter fiunt, nullo jure creditoris hypothecarii circa eosdem remanente. Nec ob stare mihi videtur L. 44. §. 5. D. de usurp. juncta L. 6 C. de usur. pro emt. in quibus usucapionem (scilicet praescriptionem *acquisitivam* triennii (c) rei mobilis) ad effectum extinguendi pignoris perfectionem non procedere nimis generaliter traditur, (d) adeo ut dispositio legis prioris de casu, ubi ipse debitor usucapionem pignoris, cujus possessionem post contractum recepit contra ipsum creditorem, *Lex citata* 6 Cod. vero de praecedente subreptione (e) pignoris a debitore creditori facta intelligenda non vero ad regulam generalem contra usucapionem rei mobilis pignori obligatae per *Triennium* in tertio b. f. possessore inde formandam extendenda sit, quia ratio praescriptionis *acquisitivae* non tam in neglecta juris perfectione alterius quam in bonae fidei possessione consistit, (f) adeoque cum haec ad effectum excludendi creditorem hypothecarium generaliter concessa (g) sit,

(c) Quia ratio in contrarium non adest.

(a) v. tot. Tit. C. Si adv. Cred. L. 7. et ult. C. de obl. et act. Mev. in P. 4. D. 243.

(b) Cujus ratio non tam in neglecta juris perfectione quam in bona fide possessoris sita est, G. L. Böhrer in Princ. Jur. can. L. 3. Sect. 5. Tit. 9. §. 634.

(c) Jure novo scilicet, De jure digestorum tempus respective annale vel biennii obtinere constat pr. J. de usuc.

(d) Prouti observat Dionysius Gotofredus in notis ad L. ult. C. de obl. et actionibus

(e) Per subreptionem enim quaelibet res vitiosa fit et hinc ordinario tempore praescriptioni non cedit. §. 3. J. de usuc. L. 84. D. de furt. L. 3. §. 6. de usurp.

(f) G. L. Böhrer in Pr. jur. can. l. c. §. 636.

(g) vid. not. litt. a.





fit, etiam per tempus consuetum *triennii* positus reliquis ponendis in re mobili non vitiosa procedat necesse est, prouti declaratur in L. 4. §. 21. D. de usurp. L. ult. et L. 5. pro emtore, (h) quibus in hac materia regula generalis de usucapione in fructibus procedente accedit, quae traditur in L. 4. §. 5. de usurp.

#### §. 14. QUID IN FRUCTIBUS CONSUMTIS.

Fructus in genere dicuntur *consumti*, simulac existere desierunt, id quod vel *naturali* vel *civili* ratione contingere potest. *Naturaliter* fit vel per destructionem ad usum congruum inde capiendum (a), (quod in pecunia numerata salva licet nummorum substantia per erogationem procedit) (b), vel per interitum eorum fortuitum, quo casu in specie *perditi* vocantur (c). Consumtio *civilis* autem vel alienatione absolvitur, (nec pretium inde redactum vel res permutata in locum fructuum ubi iudicio singulari agitur succedit (d), vel per talem specificationem qua dominium rei alienae acquiritur (e). Jam vero cum notissimi juris sit, cconsumtionem Fructuum iusto titulo perceptorum, qualitercunque fiat, modo consumens in terminis bonae fidei versetur fundamentum acquisitionis *irrevocabilis* ex parte ejus efficere (f), adeo ut quoque verus rei dominus excipiendo repelli possit (g); idem multo magis contra creditorem

(h) Has leges ad probandam thesin de usucapione rei pignorate in genere procedentis recitari posse credo, quamvis in casu subreptionis iisdem per L. 6. C. de usuc. pro emtore derogatum esse dicendum videtur.

(a) L. 1. §. 2. D. de pign. §. 35. J. de rer. div.

(b) L. 19. §. 1. in f. de reb. cred. §. 2. J. de usufr.

(c) L. 21. de hered. petit.


(d) L. 21. D. de act. vel hered. vend. L. 7. §. 1. Qui pot. in pign. L. 48. §. ult. D. de furtis L. 38. §. pen. de noxal. act. Galvaans de usufr. C. 28. §. 13.

(e) §. 25. J. de rer. div. L. 7. §. 7. D. de adq. rer. dom. non igitur per commixtionem §. 28. J. eod. L. 5. pr. D. de rei vind. interdum vero per confusionem L. 5. §. 1. de rei vind. Confer. Vinnius in Comment. ad Inst. tit. de rer. div. §. 27. 28.

(f) §. 2. J. de officio jud. L. 4. §. 2. fin. regund. L. 40. in f. D. de adq. rer. Dom. L. 4. §. 19. de usurp. L. 41. §. 1. de re jud.

(g) §. 35. J. de rer. div. vid. L. 1. §. 2. de pign.





ditorem hypothecarium locum habere nullo dubio subesse potest, cum insuper per rei interitum (*h*) Jus pignoris sublatum esse constat. Nec interest an forte fructus in aestimatione summam per assignationem solutam excedat et hinc assignatarius per consumtionem locupletior reditus sit nec ne (*i*), quippe quod beneficio legis anastasianae (*k*) positus reliquis ponendis ante praestationem fructuum ope exceptionis evitare penes debitorem assignatum jus aequaliter fuisset (*l*), ex post autem Creditori hypothecario per modum actionis nullatenus competere potest, cum eum in finem tantum exceptio debitori, nullibi vero actio creditori vel tertio concessa esse legatur (*m*). Quod si vero in malam fidem Assignatarius ante consumtionem vel actualiter vel civiliter (*n*) constitutus fuerit, ad aestimationem fructuum creditori hypothecario praestandam ipsum teneri legibus convenire certum est (*o*), quamvis in dijudicanda bona vel mala fide ejusdem in hac materia cum moderamine aliquali procedendum sit ita ut per solam scientiam hypothecae (*p*) generalis tertio cuidam in fructibus competentis non inducta sed tunc praesertim intervenire mala fides videatur, cum vel assignatio animo fraudandi creditorem hypothecarium ab Assignante sciente assignatario facta sit, vel hic cum notitia actionis a creditore hypothecario movendae acciperit consumtionem aggressus sit vel denique Assignantem solvendo non fore

(*h*) L. 8. pr. D. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.

(*i*) §. 35. J. de rer. divis. §. 2. J. de officio Jud. L. 4. §. 2. fin. regund. L. 22. C. de rei vind. Conferatur imprimis de Wolfrath in dissert. citata, ubi rationes pro et contra emergentes erudito serutinio submittit in §. 49. Leyser in sp. med. 4. et 5.

(*k*) L. 22. 23. 24. C. mandati.

(*l*) Per dationem in solutum tamen dispositionem legis anastasianae excludi observat. Mev. in p. 4. 323. N. 3.


(*m*) Ob verba legis 23. C. cit. (sed omne quod superfluum est etc.) prouti responso illustrat. Stryck in usu mod. L. 18. T. 4. §. 11.

(*n*) Hac de re praeclare differuit Christ. Christoph. Hæsse in diff. dr lit. cont.

(*o*) §. 2. J. de off. Jud. §. 35. J. de rer. div. L. 22. C. de off. Jud. L. 2 C. de fruct. et lit. expens. L. 22. C. de rei vind. L. 4. §. 2. D. fin. regand.

(*p*) Aliud statuendum erit de Hypotheca mere speciali arg. L. 66. pr. D. de furtis L. 3. §. 1. stellionatus.





fare praesciverit. Quod si enim fructibus licet generaliter oppignoratis assignans praeterquam satis in bonis habeat, consumtio eorundem ab assignatario licet ex praecedenti scientia hypothecae generalis facta, malam fidem tamen non spirat (q).

§. 15. DE ASSIGNATIONE FRUCTUUM, OPPIGNORATIONEM  
EORUNDUM RATIONE TEMPORIS PRAEDECENTE.

Pertractatis igitur omnibus, quae circa jus creditoris hypothecarii ratione fructuum alteri in solutum assignatorum consideranda veniunt in illo casu, ubi assignatio ratione temporis oppignorationem *subsecuta* fuerit, restat modo, ut quoque de casu contrario, cum scilicet forte *praecesserit* brevibus agamus. Et maximam quidem hoc respectu differentiam inter assignationem *nudam* et *qualificatam* obvenire, quam in priori casu plane non attendendam esse in fine §. 8. tradidi, ex diversitatis ratione (a) prolixè fluit, de quibus itaque separatim agendum erit.

§. 16. QUID JURIS CIRCA SIMPLICEM VEL NUDAM ASSIGNATIONEM, QUAE OPPIGNORATIONEM PRAECESSIT.

In *nuda* vel *simplici* assignatione jus de re vi assignationis praestandae disponendi penes assignantem remanere, donec ejus praestatio assignatario a debitore assignato actualiter facta sit in §§. 4 et 5. tradidi, (a) ex quibus sat luculenter apparet, fructus quoque in assignationem deductos

(q) Consistit enim bona fides pro significatu latiori in persuasione justitiae actionis nostrae. Hanc vero qui ex praecedenti justo titulo fructus perceptos intervenientibus quae traditi momentis consumit habere potest modo securitas creditoris non ad unicos fructus adstricta sit, prouti in Hypotheca mere speciali evenit, arg. L. 2. C. de pignoribus. Nov. 112. C. 1. L. 36. §. 1. de pign. act.

(a) Cum scilicet in assignatione qualificata actualis solutio non vero in simplici interveniat. § 4.

(a) vid. not. ad §. 5. litt. c.





ductos ante eorum praestationem non assignatario quippe mandatario in rem alienam constituto sed assignanti cedere, ipsique toties quoties eosdem alienandi vel pignoris obligationi subjiciendi licentiam esse. Quando vero quicumque pignoris conventionem firmatam obligationem habet, licet posterior tempore omnibus tamen personali tantum actione gaudentibus praefertur, (b) hinc quoque jus pignoris sive expresse constitutum sit sive tacite per legis dispositionem evenerit, juri ex assignatione quaesito praecedat necesse est, facile exinde apparet, creditori hypothecario, licet post contractam assignationem jus pignoris consecutus sit eadem jura circa fructus assignatos competere quae in casu assignationis subsequenter tradita sunt et hinc cum iisdem distinctionibus inter fructus *perceptos* et *non perceptos*, *extantes* et *consumptos*, *usucaptos* vel *non* ac supra procedendum esse. Prouti vero facta a debitore assignato praestatione fructuum, isti assignanti cedere desinunt et assignatario per perceptionem ex praecedenti titulo pro soluto dominiotenus adquiruntur, nec in bonis assignantis amplius remanent, (c) ita quoque si oppignoratio post absolutam jamjam perceptionem in persona assignatarum facta sit, circa rem alienam contracta, hinc respectu istius nulla (d) et non nisi actioni contra assignantem quippe in dolo vel culpa versantem ex parte creditoris hypothecarii locus est. (e)

§. 17. DE ASSIGNATIONE QUALIFICATA, OPPIGNORATIONEM  
RATIONE TEMPORIS PRAEDECENTE.

Hanc vero quam modo formavi distinctionem, utrum scilicet oppignoratio ante perceptionem fructuum vel postea contigerit. in assignatione *qualificata*, cui vel vis cessionis vel delegationis inest plane cessare

(b) L. 3. et 9. C. Qui pot. in pign. L. 11. pr. D. eod.

(c) vid. §. 4. in fin. ibique notata litt. f.

(d) L. 3. L. 15. §. 1. D. de pign. L. 23. de probat.

(e) L. 9. D. de pign. act. L. 16. §. 1. eod. L. 32. eod.





cessare, adeoque fructus, quotiescunque a debitore creditori suo in solutum vel interveniente cessione vel delegatione assignati sunt, licet nondum percepti fuerint, Tertio cuidam nec ex debitoris voluntate nec ex legis necessitate pignori obligari posse, exinde in apriico situm est, quod simulac assignatio modis hisce qualificatis contracta fuerit, fructus assignanti cedere desinant et hinc jus eorum percipiendorum tempore oppignorationis in bonis ejus non sit, quae igitur non nisi intuitu rei alienae contracta intelligi, nec ullum ratione assignatarii effectum producere potest, quamvis tempore oppignorationis ante fructuum perceptionem Dominium eorum penes Assignatarium nondum fuerit (a). Quod si enim Fructus in assignationem venerunt et hinc ut a Tertio aliquo debeantur necesse est (b), quaestio non de dominio, quippe quo nec assignans semper gaudet, sed tantum de jure quo fructus cedunt moveri potest, id quod per assignationem *qualificatam* in Assignatarium irrevocabiliter transfertur (c), hinc in bonis assignantis esse definit adeoque oppignorationi subsecutae obnoxium esse nequit (d).

(a) Alia enim est ratio dominii, alia existentiae in bonis, prouti declaratur in L. 49. D. de V. S.

(b) Per notionem Assignationis supra definitam, tertium debitorem requirentem §. 2. in f.

(c) vid. §. 4. litt. d. et §. 5.

(d) vid. not. ad §. ant. litt. d.



ULB Halle

3

004 833 155




*Sl*











1792, 12  
~~2090~~  
N2  
13  
3

COMMENTATIO JURIDICA  
DE  
JURE CREDITORIS  
HYPOTHECARI  
CIRCA FRUCTUS,  
TERTIO CUIDAM SOLUTIONIS GRATIA A DEBITORE  
UTRIUSQUE COMMUNI ASSIGNATOS

QUAM  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS  
RITE CONSEQUENDIS  
VI R O R U M  
AMPLISSIMORUM, CONSULTISSIMORUM ET DOCTISSIMORUM  
EX ILLUSTRIS JURECONSULTORUM ORDINE  
IN  
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA  
SCRUTINIO DEVOTE SUBMITTIT

AUCTOR  
CHRISTIANUS EBERHARDUS WEDEKIND,  
IN CONSILIO INTIMO AC CAMERA OSNABRUGENSI REGISTRATOR.

OSNABRUGI DIE 1<sup>ma</sup> SEPT. 1792.

\*\*\*\*\*  
OSNABRUGI,  
EX OFFICINA J. W. KISLINGII ET FIL.